

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Icones sive imagines virorum literis illustrium

Reusner, Nikolaus

Argentorati, 1587

Pavlvs Ebervs

[urn:nbn:de:bsz:31-271751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-271751)

PAVLVS EBERVS
Theologus.



*Qui fueram Sophiae, Christi sum denique doctor:
Si corpus paruum, mens mihi magna sat est.*

M. D. LXIX.

PAVLVS EBERVS KITTINGÆ

Franciæ oppido natus, anno M. D. XI.
Post patriæ scholam, ad spem vberioris doctri-
næ Onolsbachium primò commigrans:
Aeger anno vix exacto in patriam reuersurus,
ab equo raptatus consternato, multis corpo-
ris partibus miserabiliter laxatis, magnam
valetudinis suæ passus iacturam:

Eâ demum confirmatâ, Vitebergam profectus,
homo in omni iudicio elegantissimus, Philo-
sophiæ pariter, ac Theologiæ studijs
summè deditus:

Summos in vtraque sapientiâ tam diuinâ quàm
humanâ honores cum laude promeritus:
Professor tandem vtriusque in Academiâ annis
circiter XXXII. clarus ac eloquens:

Pastor præterea Ecclesiæ & Antistes verus
vigilansquet

Sacræ historiæ, & Philologiæ in primis
studiosus:

Quam & compluribus ingenij monumentis
egregijs plurimum illustrauit, & ad
posteror propagauit:

Pie sancteque obiit Vitebergæ X. Decembr.
anno Sal. M. D. LXIX. Aet LII. D.

XXXII.

V iij

IN PAVLVM EBERVM

Theologum.

IOANNIS SCHOESSERI.

Hos quicumque vides infirmi corporis artus,
Quos tibi Pastoris parua tabella refert:
Consilium perpende Dei, qui splendida mundo
Visa, putat regno non satis apta suo.
Eligit infirmos, per quos Ecclesia Christi
Docta, salutarem possit habere fidem.
Ille etiam praehensiuat instrumenta salutis,
Praesidioq; leuat membra pusilla suo.
Et nunc parua licet sit vox & corpus Eberi:
Ipse per hunc optat notior esse Deus.
Ergo prius celebres docuit qui sedulus artes:
Aethereo sacras nectare pascit oues.
Quid spectas teneros artus? in corpore paruo
Sapè etiam pietas, ingeniumq; viget.

N. REVSNERI.

In Paguro sapientia,

Quid modicas paruo rides in corpore vires:
Pectore si magnus sum, Polypheme, sat est.
Scilicet est paruis etiam sua gratia rebus:
Formica quoque vis, & sua bilis inest.
Et sua commendat sapientia rara pagurum:
Pendet hic è collo, magna Diana, ruo.

Con-

Consilij signum prudentis: in ede dicatâ
Quæ gaudes Ephesi per tua sacra coli.
Malo mihi paruo fit mens in corpore magna:
Quam Cyclopaο robore membra geram,
Mentis inops. male sic habitat mens ardua Galbae:
Ingenuas vires, nobile pectus amo.

P. CANDIDI.

Religio, pietas, doctrina, modestia, candor
Dona, quibus fuerat clarus EBERVS, erant.

IOANNIS STIGELII.


Colligis è priscis quod idonea tempora fastis:
Quod cælum & cælo tempora lapsa notas:
Paule tibi referet meritas Ecclesia grates:
Hac etiam speculum quæ videt arte suum.
Paule tibi referet meritas Respublica grates:
Cui suus hoc studio vindice constat honos.
Et iam fata tuis aspirant mollia chartis:
Sensit & æternos pagina viua dies.

Adiiciunt Musa læta frondentia lauro
Serta, Agamippæ fonte rigata iugi,
It comes adspirans animam, sensumq; libello,
Aetatum Genius semina longa trahens.

IOAN. LAVTERBACHII.

Perennis est disertus eloquentiâ.
Splendor Thesbiadum nitens EBERVS,
Paruus corpore, suauitate magnus

V iij



Dicendi, teneram scholis iuuentam
Bonas seu docuit disertus artes,
Sacram seu docuit disertus adem:
Prasentem retulit lepore formam,
Prasentem retulit colore vultum.
De tam corpore plura scire paruo
Si quæris, monumenta quæ reliquit
Haud segnis, legis nec ipse segnis.
Quàm magnus fuerit scholis docendis,
Quàm magnus fuerit sacris docendis,
Librorum monumenta prædicabunt.
Paruo ex corpore nemo iudicandus:
Gemma corpore parua, vi sed ingens:
Terra sic quoque dum manebit orbis,
Paruus corpore, suauitate magnus
Dicendi celebrabitur per orbem
Splendor Thesbiadum nitens EBERVS.

IOAN.